salute omnes exultarent. decuius conuersio
ne angeli laetabantur in caelo;
Hoc tibi fabiola ingenii mei senile munus. haec officiorum inferias dedi; Laudauimus saepe uirgines. et uiduas quarum semper candida fuere uestimenta quae sequuntur agnum quocumque uadit;
Felix paenitentium quod nulla totius uitae sordes macula est. procul liuor facessat inuidia; si pater familias bonus est quare oculus noster malus est. quae inciderat in latrones. Christi humeris reportata est. Multae mansiones sunt apud patrem. ubi habundauit peccatum super habundauit gratia. Cui plus dimittitur plus amat.

## HIER AD MARCELLAM DE DECEM NOMINIBUS QUIBUS APUD HEBRAEOS DEUS UOCATUR

Iuiiii. Nonagesimum psalmum legens in eo loco qui scribitur. Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione dei caeli commorabitur. dixerunt apud hebreos pro dei caeli esse positum
SADDAY quod aquila interpretatur
IKANON AMANOHI quod nos robustum et sufficientem ad omnia perpetranda accipere possumus. Unum quoque esse de decem nominibus quibus apud ... eos deus uocatur;
Hoc studiosissime postulasti ut tibi uniuersa nomina cum sua interpretatione digererem; faciam quod petisti;
I. Primum dei nomen est. HEL. quod lxx. deum. aquila ethimologian et OEMOETIAN eius exprimens ICXIPON id est fortem interpretatur.
II. Deinde ELOIM et ELOE quod et ipsum deus dicitur.
IIII. Quartum SABAOTH. quod lxx uirtutum. aquila exercituum transtulerunt;
V Quintum ELION quem nos excelsum dicimus;
VI. Sextum est IEIE. quod in exodo legitur,
VII. qui est misit me. Septimum ADONAI quem nos generaliter dominum appellamus,
VIII. Octauum IA. quod in deo tantum ponitur. et alleluia extrema quoque syllaba sonat,
VIIII. Nonum TETRAGAMMUM quod ANEKΦΩNΗTON id est ineffabile putauerunt. et his litteris scribitur IOD HE UAU HE quod quidam non intellegenter propter elementorum similitudinem cum in grecis libris repperierint ΠΙΠΙ legere consueuerunt
X. Decimum quod superius dictum est SADDAY et in hiezechihele interpretatum ponitur,
Scire autem debemus quia eloim communis numeri sit. quod et unus deus sic uocetur et plures. ad quam similitudinem caeli quoque appellantur. et caelum id est samaim.
Unde et saepe interpretes uariant; cuius rei exemplum nos in lingua nostra habemus athenas. thebas. salonas.

## lx. HIERON AD AUIGAIUM SPANUM

Quam uis multorum sim conscius peccatorum. et cotidie in oratione flexis genibus loquar. Delicta iuuentutis et ignorantiae meae ne memineris.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0332